

IOANNES IACOBVS A VVATTENVVIL CONSVL  
*Bernensis.*



**I**oannes Iacobus natus est Bernæ Heluetiorum  
lex nobili familia Vuattenuuilerorum, anno cir-  
citer 1505. patrem is habuit eiusdem nominis uirū,  
multis uirtutibus præstantissimum, qui apud Ber-  
nenses consulatum gessit, & in magna autoritate  
extitit, eo tempore cum bella Sueuica, & postea  
Mediolanensia à Heluetijs peragerātur. A tali pa-  
tre Ioannes Iacobus prognatus, & optimè educa-  
tus est. Cum is adoleuisset, & rara prudentia & pie-  
tate conspicuus esset, in Senatum cooptatur, atq̃  
res multæ reipublicæ causâ expediendæ commit-  
tuntur. Eas is magna dexteritate expediuit, atq̃ in  
primis ob pietatis studium religionis causam pro-  
mouit. Itaq̃ factum ut communi ciuium consensu urbis Consul (quem Schul-  
tetum ac supremum magistratum uocant) eli geretur. Eam dignitatem is ma-  
gna animi moderatione gessit, atq̃ patri similis omnibus gratissimus exti-  
tit. Cum hoc modo potentem eam rempublicam diu administrasset, ac patriæ  
ornamento fuisset, anno ætatis 56, salutis uerò millesimo quingentesimo  
sexagesimo primo obiit, & in patria omnium luctu honestè se-  
pultus fuit. Anon.